

## PSALMI XXXVIII. DISPOSITIO.

*Afflictio duplicata. Nulla calamitas sola. Parce peccatori, refice.*

**F**lebilis hæc est hominis resipiscentis supplicatio pro averfione iræ divinæ plagarumque promeritarum; ubi

I. Deprecatio: (1) *Domine*, (2) *ne corripias, nec castiges*: (3) *in furore & indignatione tuâ*: vers. 2.

II. Deprecationis rationes: (1) à pœnarum gravitate, quæ exprimentur (a) *per tela immiffa*, vers. 3. (b) *per manum prementem*, ibid. (c) *carnem laceram*; præ *Dei irâ*: vers. 4. (d) *ossa inquieta*: ibid. (2) à peccatorum confessione: (α) *peccata mea* perturbant me intimè: vers. 4. (β) *supra caput meum tranferunt* instar aquarum: vers. 5. (γ) *instar oneris me supprimunt*: ibid. (δ) *instar ulcerum foetent*: vers. 6. (ε) *stoliditas mea* me pudefecit: ibid. (3) à statu miserò: quoad [a] corporis gestûs: *incurvor*; quoad [b] habitum: *atratus incedo quotidie*: vers. 7. quoad [c] viscera: *intestina torrentur*, vers. 8. [d] quoad carnem: *nulla in hac integritas*:

A. ibid. *debilitatus, concussus sum vehementer*: vers. 9. [e] quoad vocem; *rugio præ cordis fremitu*, ibid. [f] quoad desideria nec non suspiria Deo soli nota: vers. 10. [g] quoad cor palpitans: vers. 11. [h] *vires exhaustas*: [i] *oculorum caliginem*: ibid. [k] quoad amicos elongatos: vers. 12. [l] quoad inimicos exhilaratos, qui *insidiantur, prava loquuntur, dolos meditantur*: vers. 13. [m] quoad ignominiam propriam: *sum quasi surdus & mutus*: vers. 14. 15. (4) A suis precibus: *te Domine expecto*: vers. 16. igitur *respondebis ex meo voto*: ibid. Te contra *ἐπιχαλεμάς* invoco: vers. 17. Tibi plectenti me submitto: vers. 18. plagas tanquam benè promeritas expendo: ibid. delicta palam profiteor: vers. 19. (5) Ab hostium injuriis: qui (insultantes vers. 17.) roborantur, vers. 20. mala pro bonis rependunt: vers. 21.

III. Conclusio: *ne deseras: ne elongeris*: vers. 22. *ad opitulandum propera*: vers. 23.

## P S A L M U S XXXVIII.

## EXPLICATIO VERSUS I.

להוכיר *Ad commemorandum vel recordandum*: ) inscriptio hæc nulli psalmorum, præterquam huic & 70mo, apposita est: videtur autem eadem ipsâ tantò melius commendari huncce Psalmum, ut frequenter ac solenniter in publicis repetatur congressibus, hominesque tantò penitius peccati discant introspicere atrocitatem. Junius de memoriâ tum mali, tum liberationis ex illò factæ. Piscator de memoriâ beneficii liberationis ex miseriis. Möllerus de memoriali, quò David sibi castigationem divinam ejusque causam revocaret semper in memoriam, atque sic ad timorem & invocationem Dei studiumque pietatis se exsuscitaret, cum plerumque à morbis liberati fiant pejores, &c. *Aben-Esra & Muis* dicunt esse initium triti cujusdam carminis. *Kimchi* censet hoc commemorare ægrotos concernere, pro quibus hicce psalmus fit compositus. *Rasché* (Psalm. LXX, 1.) ad orandum: quorsum illud Psalm. XX, 8: nos autem nomen Domini נִזְכִּיר *Amos*, VI, 10. ubi Chaldaus per Orare 1. Paral. XVI, 4. ad laudandum &c. Pertinet huc illud 1. Paral. XVI, 4: de Davide Levitas constituyente להזכיר ולתודה ליהוה Lutherus olim: zu erinnern: (& in marg. nehmlich seiner Sünde / auf daß er Gott darnach lobe.) postea: zum Gedächtniß. Nonnulli, ut *Buxt. thes. gram. pag. 340.* gerundium hoc pro adjectivò *μνημονευτικός* accipiunt, sicuti Psalm. LX, 1. Psalmus להלל ad docendum, idem ac διδασκαλικός. Sed simplicius est retinere hoc gerundium, & supplere (ad commemorandum) conscriptus seu traditus, ita *Glassius l. 3. Philog. S. pag. 42.*

## EXPLICATIO VERSUS II.

בְּקַצְפֵּךְ *in effervescentiâ tuâ*: ) nomen hoc קֶצֶף (אֶצֶף *spumavi*.) proprie est spuma, in superficie

aquæ ebullientis, *Hosea*, X, 1. Hinc ad iram & transfertur vehementissimam, ubi instar equi concitati aliquis effervescit atque spumat: confer *Esth.* I, 18. & *Cob.* V, 16. atque porro per anthropop. ferme semper usurpatur de Deo graviter irato ac puniente, ceu patet ex *Num.* I, 23. XVIII, 5. *Jos.* IV, 20. 2. *Reg.* III, 27. 1. *Par.* XXVII, 24. 2. *Par.* XXIX, 8. &c. quæ ipsa etiam metaphorica acceptio satis clarè h. l. deprehenditur. Huc *Drufius l. 1. obs. c. 24.* citat locum *Agell. l. 1. c. 26.* neque immaniter clamo, neque in spumam ruboremque effervesco, &c. hæc enim omnia, si ignoras; signa esse irarum solent.

אֶרְגֹּמְךָ *arguas me*: ) ob peccata videlicet mea, gravem ejusmodi correptionem probè demerentia. Accipitur autem hoc וְכַח in hiphil de severâ delinquentis castigatione, sive verbali, ut *Gen.* XXI, 25. de Abrahamo Abimelechum corripiente: *cap.* XXXI, 42. de Deo Labanem noctu corripiente, *Psalm.* CXXI, 5. corripiat me justus, &c. 2. *Reg.* XIX, 4. *Amos*, V, 10. five reali, per virgas aliasve plagas, ut 2. *Sam.* VII, 14. *Psalm.* L, 21. *Psalm.* CV, 14. corripuit propter eos reges, &c. Utraque etiam h. l. intelligi potest castigatio, tum *legalis*, quando conscientia omni sensu gratiæ destituta, nil nisi mera audit legis tonitrua & maledictiones, tum *realis* per multiplices corporis, fortunarum, famæ animæque plagas, quæ ab irato imittuntur iudice, tum in hoc, tum futuro seculo.

וּבְחַמְתְּךָ *in excandescentiâ tuâ*: ) res eadem majoris evidentia causa repetitur per synonyma, ut videlicet flebili hac ἐπιμονῆ tantò facilius Deus à sua ira revocaretur ad consuetam suam misericordiam. De voce hac חַמָּה actum *Psalm.* XXXVII, 8. Ineptè *Bellarminus l. purg. c. 3.* per *furorem* intelligit pœnas inferni, per *iram* purgatorium: vide *Höpsu. Psalm. hoc, porism. 1.* Hunn: